

17. Nov.

a 7
DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS
JVRIDICA
SISTENS
ALIQVOT CAPITA
IN
**EDITIONE
DOCVMENTORVM**
OCCVRRENTIA

P. 84 7
QVAM
ILLVSTRIS JVRECONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO
LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES
CONSEQVENDI
D. X. APRILIS MDCCXC.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVCTOR
HIERONYMVS WOLDERVS SILLEM.
HAMBVRGENSIS.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.



Scoville
INCLYTAE

SACRI ROMANI IMPERII

REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS

SENATVI SPLENDIDISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS, PERILLVSTRIBS, CONSULTISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS

PATRIA E P A T R I B V S
OPTIMIS INDVLGENTI SSI M IS BENIGNISSIMIS
HOS STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
OMNI QVA PAR EST REVERENTIA
OFFERT
TANTORVM NOMINVM
CULTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR.

Introitus isti misionis mehi. In
§. I. *Inscriptio* est. *Instrumentum*

Decernenti mihi, aliquot, quae in editione documentorum occurrunt, capita pertactandi, necessarium videbatur paucula de definitione vocabuli *Instrumenti*, nec non de divisionibus quae in illo obveniunt, praemittere antequam ad rem penitus hauriendam dilucidiusque expoundam me accingerem.

§. II. *Quid Instrumentum?*

In sensu generaliori Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest a): quo sensu & testes & omnes modi probandi intelliguntur; in sensu strictiori autem denotant scripturam ad fidem rei gestae faciendam idoneam; sive itaque ejusmodi scriptura ab initio fidei faciendae causa principaliter consecuta sit; sive hoc sine non sit consecuta, eidem tamen inserviat, in utro-

A

que

que casu Instrumentum vocatur. Minime namque omnia instrumenta hac ex causa conduntur, ut ex iis fides sit, quod & in Contractibus, qui in scriptis ineuntur contingere potest, quem saepe magis ad celebrandum contractum, quam ad fidem faciendam scriptura conficiatur.

a) L. 3. ff. d. fide Instrumentorum.

§. III.

Quid instrumentum publicum & privatum?

Dividitur instrumentum ratione modi conficiendi in publicum & privatum. Publicum, ut & privatum, est vel authenticum seu Originale, vel Exemplare sive transumtum, quod vulgo copia appellatur. Illud dicitur quod tempore negotii contracti ex Schedula, vel quod vulgo vocant Concepto, confessum & debito modo perfectum est. Exemplare sive transumtum autem, quod ex authentico sive Originali descriptum est.

Instrumentum publicum est, vel tale in specie quod auctoritate Magistratus confessum vel confirmatum est, vel quod ob formam solennem in confiendo exhibitam publico accensetur, quale est a Notario publico Caesareo confessum & duorum testium subscriptione admunitum a). Quasi publicum

ab. 1. 1003. b.

blicum instrumentum autem vocatur, quod a tribus testibus
subscriptum est juxta Leg. II. Cod. qui potior. in pign. modo
pars ipsa subscripterit vel instrumentum sua manu exaraverit b).

Instrumentum privatum est, quod a privato scriptum
vel subscriptum est, ut Sygrapha, Chyrographa, Rationes &c.
Quod etiam proprio Instrumentorum nomine venit, quia
privata quoque scriptura causa instrui potest c). Pertinet
huc etiam punctatio, siquidem & haec obligat contrahentes,
quamvis eam non sit secuta extensio, eademque in ipsa pun-
ctatione reservata d).

- a) Notariats- Ordnung de anno 1512. §. Es ist auch. Sammlung der
Reichsabschiede part. 2. p. 151,
b) Mafcard de Probat. C. 301. n. 25.
c) L. I. ff. de fide Instrumentor.
d) Berger in Supplement, Elect. disp. Forens. P. I. tit. 43. not. 1. n. 3.

§. IV.

Quid Instrumentum proprium & commune?

Proposita hac instrumentorum divisione a modo con-
ficiendi desunta, operaे pretium esse arbitrор, aliam non
minoris momenti ex jure dominii & utilitatis, quod alicui
circa instrumentum quoddam competere potest, producere
atque explanare.

A 2

Quo

Quocunque enim modo confecta sint Instrumenta,
possunt esse vel propria vel communia. Hujus divisionis
mentio quidem sit jure Romano: quid vero utriusque ap-
pellatione accipendum sit, ibi non determinatum reperitur a).

Instrumenta autem esse possunt vel ratione dominii,
vel ratione usus, vel alias cujuscunque Interesse vel propria
vel communia.

Instrumentum proprium vel commune ratione do-
minii, est id, cuius proprietas, ratione materiae cui inscri-
ptum est, in unius vel plurium dominio est. Oritur proprietas
vel communio hujusmodi instrumenti vel intercedente
conventione vel sine ea. Conventione proprium fieri potest
diverso modo, commune autem praecipue societate desuper
inita, vel etiam Emtione. Nec autem illa interveniente
conventione fieri potest documentum tum proprium tum
commune per hereditatem, legatum & donationem. Ad-
jicienda adhuc est regula hisce documentis ratione dominii
vel propriis vel communibus, quod semper eorum dominus
jure utendi instrumento simul gaudere praesumatur.

Instrumentum proprium vel commune ratione usus
dicetur, quod confectum est in propriam vel communem
plurium utilitatem.

Minime

5

Minime tamen necessarium, ut semper documentum ratione usus commune, utriusque contrahentis nomine confessum sit. Sufficit si hoc ab alterutro tantum, sed simul in gratiam alterius factum sit & de ipsius consensu vel vero vel praesumpto constet. Huc pertinent quae in tutela, societate, mandato, negotiorum gestione alterius causa conficiuntur. Quo in sensu quoque Libros mercatorum, ut & rationes contineri nullo modo dubito.

Documentum commune ratione utilitatis confici sollet inter contrahentes vel perfectionis vel probationis gratia. Perfectionis gratia accedit, quando vis obligandi contractus a confessione documenti pendet; probationis gratia autem quando hoc fine conficitur, ut documentum descriptionem eorum contineat, quae inter contrahentes acta & conventa sunt, ideoque ad probationem ipsius Contractus inserviat. Negotium priori sub modo initum non prius obligat, quam confessio documento; sub posteriori autem modo initum potest sine confessio instrumento b).

Ratione alias cuiuscunque Interesse itidem esse denique possunt documenta vel propria vel communia. Sub voce *Interesse* hic quamlibet in solidis aequitatis principiis fundatam causam comprehendo, quam Tertius, qui non

contrahens, nec jure contrahentium accensendus est, habet ad inspiciendum documentum ad alium pertinens, vel alterius gratia conditum. Prout autem unus tantum, vel plures taalem aequitatis causam habent, dici potest documentum ratione Interesse vel proprium vel commune, quo ab eo Instrumento ratione dominii vel utilitatis proprio vel communi sese discernit, dum per haec specialis juris titulus acquiritur, per quem horum etiam Editio, si ab alio possidentur, peti potest; per illud autem minime juris titulus acquiritur, sed solummodo effectum habet, ut Editio documenti cuiusdam ex aequitate inspiciendi gratia concedatur.

a) BARNABAS BRISSONIUS de verborum significatione. pag. 228.

b) C. W. DE MARTENS diss. de Instrumento communis, Goetting. 1773.

§. 14.

§. V.

Quid Editio?

Facta & negotia ex quibus jura & obligationes nascentur, non raro tanta obscuritate involuta sunt, ut necessarium sit scripturas, quae aliquam notitiam de illis dare possint, inquirere & ad explanandam rem adhibere. Probaturus per documenta si ea in potestate sua non habeat, sed venes tertium vel adversarium suum existare alleget, ne iure suo defraudetur, consultum ei est beneficio Editionis. Ratio

7

tio hujus beneficij, cui aequitas respondet, in genere est favor probationis, quem judex potius ampliare quam restringere debet. In tertio adversarii quidem vicem non sustinente, id speciale argumentum accedit, quod instrumentum sit pars probationis & quemadmodum tesis cogitur dicere testimonium pro tertio a) ita quoque instrumentum tertio quando sua interest, edendum b).

Edere autem est, copiam cuiusdam rei alicui facere c). Editio documentorum est actus, quo is, cui prolatio Instrumenti a judge iniuncta est, illud in judicio tradit, hoc quidem fine, ut is, qui illius Prolationem petiti, eo, in tantum utatur, in quantum ipsi jus in illud competit.

- a) L. 10. Cod. de testib.
- b) Gail Observ. L. 1. obf. 106.
- c) L. I. §. 1. ff. de Edendo.

§. VI.

De Editione Actoris.

In hoc quidem satis convenienti Doctores: Actorem reo omnia Instrumenta, quae negotium concernunt de quo inter ipsos agitur & quibus reus uti vult a), edere debere; tum quando ex illis exceptionem suam probare intendit, tum etiamsi simplex interesie habeat, ad commovendum judecem,

dicem, ut editionem ex officio injungat a). Sed quamquam
naturalis quaedam aequitas intercedere videatur, Actorum
semp̄er ad Editionem obligari posse quia ipse scire debet; in
Reus Exceptiones in documento quodam fundare possit,
quod ille (actor) in sua habet potestate; & itaque si hoc scit,
& tamen agit, non jure agit; nihilo fecius tamen & in Acto-
ris, ut in quacunque alia, Editione, illa requisita servanda
esse non dubito, quae infra, ut omni Editione comun-
nia, proponere intendi.

Actorem caeterum in primis tunc ab editionis obliga-
tione liberum esse credimus, ubi instrumentum per quod
Reus exceptiones probare intendit, ad manifestandam pro-
priam turpitudinem Actoris spectat b). Minime autem haec
limitatio cum aequitate mihi respondere videtur, praecipue
si exceptiones, quas reus ex tali documento proponere pos-
set, ita comparatae essent, ut Actoris intentionem eliderent
& perimerent. Soli assertioni Actoris: documentum tur-
pitudinem ipsius continere, non credi posse, per se jam pa-
tet. Nec absolum fore mihi videtur, si Judex, quando
de objecto alicujus momenti quaestio fuerit, hunc modum
sumeret, ut Reo juberet probos aliquos viros eligere, qui
bus cum Instrumentum quaestionis communicaret, quo fa-
cto

cto hi, omissis illis quae ad actoris turpitudinem manifestandam pertinent, caetera Contenta Instrumenti extraherent & Reo copiam illorum in Judicio facerent, eo fine ut in illis exceptiones fundaret.

Omissa caeterum hac inutili controversia, an actor jam cum libello, an demum post litis contestationem documenta ad rem pertinentia edere debeat, dispositiones tantum Legum Imperii hic allegare propositum est c); quae nullum nobis dubium hac de re reliquerunt & electionem unice in arbitrio actoris posuerunt. Huic principio observantia tanto minus deneganda est, quando reus per exemplum libelli satis jam instructus fuit, ut de facto proprio cum certitudine, de facto alieno autem nesciendo, litem contestare possit.

a) RULAND de Commillat. p. 2. l. 5. c. 19. H. PISTOR Observat. Obs. 218. BRUNNEMANN ad Codicem in Leg. ult. Cod. d. Edendo n. 8,

b) BERLICH Concl. 45. n. 17. PACIAN de Probat. c. 63. n. 121. BRUNNEMANN 1. c.

c) Rec. Imp. de anno 1570, §. 89. 90. Rec. Imp. de anno 1654. §. 35. 37. 40.

De Editione Rei.

Valde jam acrior disceptatio occurrit in Obligatione ad Editionem, cui reus adstrictus esse videtur.

B

Solent

Solent enim plerumque Doctores ex Leg. r. Leg. 4 & Leg. ult. Cod. de Edendo regulam proponere: „Actorem a Reo Editionem instrumentorum ad causam suam pertinentium difficilius petere posse & itaque hunc ad Editionem in dubio obligatum non esse.”

Haec autem Regula ex aequitate naturali sustineri vix potest, quippe qua is, qui alteri quidquam debere sibi conscientis est, & documenta ex quibus debitum hoc probari potest, detinet: eorum occultatione justam creditoris sui petitionem eludere non debet a). Minime itaque discrimen faciendum quoad statum partium, respectu obligationis in Editione Documentorum; quia non appetat, cur reus plus juris haberet, rem retinere, quae ad illum non pertinet, aut scripturas, quae hanc rem concernunt occultare, quam actor habet alienas res poscere, aut scripturas quae illas concernunt, reo negare. Solidis autem principiis hanc rationem niti haud mihi videtur, reo hac in re plus juris competere, eo praeprimis in casu, quum de Exhibitione aliarum rerum mobilium sermo est, leges nullum discrimen inter Actorem & Reum fecerunt.

a) LEYSER Spec. 38, med. 3.

§. VIII

*continetur classico et §. VIII. hi iobii etiis nimp. pectos.
et inservientia Continuatio.*

Nec mihi quidem videtur Regulam supra proposi-
tam in praedictis Legibus tam evidenter fundatam esse.
Notissimum est, praecpta in Legibus sub Titulis Digestorum
& Codicis de Edendo obvenientia, praecipue ad Argentarios
tantum applicanda esse, quorum autem munus hodie in to-
tum extra usum est. Fuerunt enim hae personae re vera
foeneratores, qui privatam hanc negotiationem exercebant,
mercatorum loco habebantur, nam quaestum faciebant, aut
permutandis pecuniis aut foenerandis. Fuit autem munus
illorum munus publicum a) & libris rationum, quos suae
negotiationis causa conficiebant, fides erat olim maxima b):
semper fere in Legibus juris Romani unice tantum de Editio-
ne horum librorum rationum quaestio est & semper fere re-
spectu ejusdem objecti, de pecunia nempe Argentariis in soe-
nus data. Causis illorum vero in lite deductis jam per Le-
ges ob fidem quam habebant, non immediocris favor aderat.

Nostra aetate etiam in negotiis privatorum multo ma-
gis adhuc utimur intervenientia scripturarum quam Romani
fecerunt; & frequentia, ubi de petitione Editionis agitur,
insignis est. Editionis petitio itaque nimis restringi non
debet

15

debet, quia bona fidei interest, ne obligatio haec nimis limitetur. Omnia haec, re vera jam aliquam rationem differentiae inter Editionem, ut hodie obvenire solet, & ut apud Romanos praecipue respectu Argentariorum obvenire solebat, proponunt.

Nec fuit mens Imperatoris in *Leg. 1. Cod. de Edendo* reo majorem favorem respectu Editionis tribuere, quam ex natura rei ipsi incumbit. Egit in hac Lege Aemilius quidam, erga viduam Argentarii fortasse, ut Librum rationum ipsi ederet, propter pecuniam quam ille apud Argentarium depositisse contendebat. Existentiam autem & qualitatem hujus depositi nullo modo probavit, sed nudae suae assertioni fidem fieri voluit. Quum autem minime sufficiat, veritatem Depositi, ut cujuscunque alius negotii, nuda assertione contendere, nisi alia adminicula accederint, luce clarius est: Imperatorem nihil aliud decernere potuisse quam petitum Actoris repellere & ipsi injungere, ut idoneas causas petiti sui adferat.

Ex objecto, de quo in hac Lege agitur, deposito nempe, non pauci crediderunt, magnam favorem Rei in Editione apparere, quia huic negotio ubique in jure nostro tam insignis favor conceditur, & Reus, si unquam ad Editionem

nem, certo in tali casu, ad illam obligandus esset. Sed hanc objectionem facile refellemus. Minime hac in Lege quæstio est de Contractu Depositum, ut apud nos occurtere solet, sed de pecunia apud Argentarium deposita & ipsi in foenus data. Sed concedamus aliquando, non de pecunia apud Argentarium deposita, sed de illo deposito, quod nos tale dicimus, quæstionem esse (quod tamen minime apparet, quia in hac Lege de Libris rationum agitur, quod semper fere fit, ubi de Argentariis mentio est); attamen haec objectio non minus evanescit per ea, quae jam diximus, quod nempe de veritate Depositum ejusque existentia, per assertionem unius partis factam, minime apparet.

§. IX.

Continuatio.

Ex favore quo Reus in Processu ante Actorem gaudere solet, alia sumitur ratio, cur Reo editio non tam facile injungenda esse videtur, ex Leg. 125 ff. de Reg. jur. quæ dictum: partes favorabiliores esse Rei, quam Actoris. Sed obtinet haec regula in illo tantum casu, ubi actor in probatione nil præliterit, ubi itaque disceptatus quoniam in parte jus subsistat, an in parte Rei, an Actoris; ubi denique sententia definitiva ferenda est ad decisionem litis. Hic

B 3

itaque

itaque sanae rationi & aequitati respondet, rem in statu, quo
fuit, manere & Reo absolvitoriam dare.

Principium aequalitatis potius semper ubi cum jure
fieri potest sovendum, nec itaque actor nec reus ad imparia
judicari debent, sed aequalitas in omnibus ubicunque ser-
vanda a).

Porro saepius etiam haec facta objectio: notissimum
ex jure esse, neminem ad editionem tituli sui cogi posse;
quod quidem verissimum est, sed tamen praecipue titulum
possessionis pro objecto habet. Namque hic certum, reum
regulariter non cogi posse, dicere jus suum, nec ostendere ti-
tulum suae possessionis, quum non sit disputandum de non
jure ipsius, sed de Jure actoris, quamvis etiam hac in Re-
gula plurimae exceptiones eveniant.

Praecipua autem exceptio in genere hic est, si de
fundata intentione Actoris apparet. Namque quod dicitur
ex possessione tutum esse tenentem, id eo usque obtinet, do-
nec actor de jure suo in re aut ad rem docuit. Probata de
hoc intentione actoris, necesse est reo, ne succumbat, do-
cere itidem de suo jure. Etsi enim nemo cogitur, titulum
suae possessionis adere extraneo, aut jus suum habenti:

ubi

ubi tamen ille, qui exigit habet, ex quo, qui tenet, restituere tenetur, obligatus est aut ad restituendum, aut ad titulum, ex quo potior esse cupit, exhibendum. Non modo ut declareret ex qua causa tenet, sed ut nominatum titulum sumus doceat. Inde male absolutus reus est a petitione, ex solo obtentu possessionis diutinae, ubi actor jus suum probavit, si non' tanti temporis sit, ut usucaptionem vel praescriptiō nem faciat. Sed fortasse longius etiam hic progredendum est & dicendum: possessorem ad Editionem & probationem tituli etiam tunc compellendum, quum petitor jus suum non quidem plane, sed tamen aliquo modo probaverit, ita ut saltem fortis quodammodo praesumptio pro illo militet, quia conditio possessionis melior non est, nisi in pari causa b). At par causa esse definit & petitoris jus fortius esse incipit, quum ille praesumptionem pro se habet. Iniquum tum foret, reum ob solam possessionem absolvit. Accedit quod & in hoc Editionis genere dici possit, multum aequitati & arbitrio judicis relinquendum esse, ut inspiciet, an iusta causa petitio inhaereat, nec ne c).

Sic verbi causa in petitione hereditatis, possessor hereditatis cogitur, dicere jus suum, vel causam suae possessionis, id est utrum pro herede, aut pro possessore possideat.

Ratio

Ratio autem hujus limitationis haec est, ne ille, qui bona hereditaria possidet tamquam heres, licet non sit, vel tamquam possessio sine causa, verum heredem jure suo defraudet. Consentaneum ergo est, ut ante omnia a Reo investigetur, an habeat titulum suae possessionis d).

- a) L. 41. ff. d. Req. Jur, L. 6, Cod. de temp. in integr. refl.
- b) L. 128. ff. de Reg. jar.
- c) LEYSER Spec. 452. med. 8.
- d) PACIAN de Probat, L. I. c. 61.

§. X.

Agitur de Regula in Leg. 22. Cod. de fide instrumentorum circa Editionem proposita.

Sed ne tractatione hujusc Editionis, in §. praecedenti proposita, a Seopo longius aberremus, regrediendum nunc est ad institutum nostrum,

JUSTINIANUS in Leg. 22. Cod. de fide instrumentorum.
 Regulam proposuit nemini injungi posse, ut documenta contra ejusmodi personas edat, contra quas ad testimonium ferendum non cogi possit. Sed hoc praeceptum solidis rationibus nullo modo fundari posse videtur. Propinqua enim cognatione conjuncti testimonium ferre, interdum obligari non possunt, propter vinculum propinquitatis; ratio autem

haec

haec non occurrit tantopere in Editione documentorum, similibus in circumstantiis petita. Namque certo certius est, tales personas multo minus reprehendi posse, si scripturas, Interesse propinquorum suorum concernentes, quas possident, edunt judici, aut alicui, qui jus fundatum habet contentum illorum scire, quam si per testimonia, illos quos summa necessitudine attingunt, offendunt & domestica secreta produnt.

Nec amplius necesse erit plura de valore hujus constitutionis hic proponere, quum constat usum illius vix ubi receptum esse.

Unicum exemplum hoc docebit. Si ad Liberos a matre bona ex hereditate venerant, ipsi autem Liberi debita contraxerunt; tunc quidem pater omnino tenetur creditoribus designationem de bonis maternis hereditariis producere, quanvis alioquin, contra liberos testimonium perhibere minime compelli potest. Quum autem nonusus dispositionis hac in *Lege 22. Cod. de fid. instrum.* propositae, in foris nostris evidens sit; non video cur caeteris Legibus respectu hujus materiae in jure nostro obvenicutibus, si ponamus favorem Editionis nimis fortasse restrictum esse, ri-

gidissimam applicationem concedamus, nec potius alia simul principia in hac materia assumamus, quae magis ex sana ratione & natura rei, quam ex opinionibus & praejudiciis Jureconsultorum evoluta sunt, & habiliora fortasse essent Editionem, ut caput principale aut incidens, saepissime autem valde intricatum & maximam moram secum ferens, solidioribus adminiculis fulcire.

Certe hoc apparere, persuasum mihi habeo: materialiam de Editione documentorum in jure nostro ad firma principia minime redactam esse, praecipuo quod negotia privatorum inter se concernit; quum Leges ibi occurrentes, uti jam supra dictum de Argentariis praesertim loquuntur, quorum autem munus, ita ut apud Romanos fuit, in totum apud nos extra usum venit.

§. XI.

De Limitationibus, Regulæ: quod Reus in dubio ad Editionem non teneatur, vulgo adjectis.

Doctores, qui hanc quoque Regulam proposuerunt: Reum ad Editionem difficillime tantum cogendum esse; senserunt tamen ipsi Regulam hanc non adeo immutabilem manere posse, quin variae Exceptiones contra illam admittentur.

rentur. Hujus generis sunt e. g.: Si actor petit Editionem sibi fieri ad probandam suam replicationem; si instrumenta, quae actor petit non tam ad fundandam quam adjuvandam ejus intentionem faciant; si veritas aliter haberri nequit &c. Attamen concurrentia harum exceptionum, quarum adhuc plures alias Jurisconsulti admittere solent a) applicationem hujus Regulae plane inefficacem reddit & multis frivolis fraudulentisque litibus ansam praebet. Sic e. g. per exceptionem supra propositam: si veritas aliter probari nequit, quam tamen plurimi Doctores admittunt, regula de reo non obligato instrumenta edendi penitus evanescit. Quisque enim, qui Editionem ab adversario suo postulat, justam autem causam petitionis suae nec proferre nec demonstrare potest, nunc statim, ut finem contingat suum, dicat, veritatem aliter erui non posse. Infirma & volubilia principia hac in re, finem processuum inutiliter protrahunt & ansam saepe præbere possunt, ut ille, qui optimum jus agendi habeat, ramen propter negatam Documentorum editionem, ex quibus jus suum demonstrare possit, causa sua cadat.

a) Sic. e. g. Berlich Concluſ. 45, viginti septem Exceptiones, contra Regulam; quod Reus regulariter ad Editionem non tencatur, proponuit,

§. XII.

Continutio.

Longe tamen a me alienum est, ut per supra dicta contendam, cuique liberum esse debere pro lubitu inspectio-
nem instrumentorum & scripturarum, ad alium pertinentiam poscere; eo quidem fine, ut videat, an in illis quidquam inveniat, quod sibi aliquid commodi conferre possit. In republica bene composita nullo privato permittendum est, ut quoctunque tempore ab alio quodam poscat, ut hic il-
lum de validitate tituli possessionum suarum certiore red-
dat & scripturas, quae eo inserviunt, ipsi producat. Si eveniret quoque, ut aliqua levis suspicio adesset alterum re-
probato modo possessorem cuiusdam rei factum esse, pro-
pter haec non statim ipsi obligatio incumbit, alio quodam privato argumenta juris sui proponere. Sed ille, qui jus magis fundatum habere contendit, illud probare debet, quia Reipublicae qua tali non interest scire, quid quodvis mem-
brum ibi degens possideat, nec iudex admittere debet, ut partes litigantes processum civilem inidoneis explorationi-
bus & investigationibus pro lubitu protrahant.

§. XIII.

21
MS. 2. 1003. C.

§. XIII.

Plurimum in Editione arbitrio judicis relinquendum est.

Rei naturae fortasse non repugnat, si contendimus: difficilior fieri posse, ut normae praesiniri possint, secundum quas, in quocunque dato casu, obligatio ad Editionem statim determinetur.

Non sicut mens, ut videtur, priscis conditoribus iuris nostri, officium Judicis in decernenda Editione adeo illigare, ut opus sit tot regulas hic praescribere. Potius summani ei hac in parte libertatem permettere voluerunt a). Poterit itaque iudex, si aequitas & circumstantiae suadent, aliquando a regulis vulgaribus recedere & editionem praecipere illi, qui stricto jure ad eam obligatus non videtur b). Ergo tota fere doctrina de Edendo ex aequitate & arbitrio judicis pendet c) & favor quo probatio in jure nostro fruiatur, illum magis propensum facere debet, ad concedendam quam denegandam Editionem d). Judex ergo poterit jubere edi, vel non edi & recte prosector; nam si jubet edi, tacite ostendit se vereri ne circumveniatur; si non edi, ostendit frustra hoc peti, quia iatis ex se instructus est e).

a) Mevius p. 3. decis. 337.

b) Leyser spec. 38.

- c) Leyser spec. 452. med. 8.
 d) Ruland de Commissariis. Lit. 5. cap. 22.
 e) Menoch de arbitriis judicium quaectionibus & causis. Lib. 2. cent.
 2. Cas, 175.

§. XIV.

Continuatio.

Sententia haec maxime corroboratur per ipsam Legem primam Codicis de Edendo, ubi Antoninus Imperator, actori editionem documentorum a reo petenti rescribit: hoc ex causa ad judicis officium pertinere. Legislator hujus dispositionis, mihi totam materiam de Editione mirifice perspexisse & ex ipsius verbis, generale axioma quoquaque casu applicabile, mihi deducendum videtur: quod ille, a quo Editio petatur tunc semper ad illam obligari possit, quoties nempe justa quaedam causa hujus petitionis appareat, in quo autem nihil refert an in jure scripto, vel non scripto, vel mera tantum; non tamen cerebrina aequitate, fundata sit. Nec interest an Editio ab actore, aut reo, aut a quoquaque tertio petatur. Si in quoquaque casu justa tantum causa adest, petitio Editionis semper cum jure fit*).

- * Quum opusculo huic finem jam imposuerim & typis mandaverim, incidit mihi in manum praeclarum illud & omnilaude sublimius opus in terris Borussicis confectum, quod ibi vim legis habet, sub rubrica: Corpus Juris Fridericianum editum, quo Lib. I. P. I. Tit. X.

§. 36.

§. 26. de editione documentorum haec Lex reperitur: „Der Richter „welchem obliegt, für die Ausmittlung der Wahrheit von Amts- „wegen zu sorgen, ist berechtigt, von jedem ohne allen Unterschied „und Ausnahme, der ein zur Aufklärung des facti gehöriges Do- „cument in Händen hat, es sey Kläger oder Beklagter, oder eine „dritte in dem Proces gar nicht verwickelte Person dessen Heraus- „gabe oder Edition zu fordern,,. Quum autem de praestantia & ingenii acumine, quocum hoc opus elaboratum est, omnes omnino persuasi sunt JConsulti, sane ad minimum ex principiis aequalitatis & aequitatis ibi propositis apparebit, iis quae hic praesertim respectu hisce pagellis meis adulsi, omnem quidem approbationem hanc de- negandam esse.

§. XV.

De Requisitis Editionis.

Quum autem, ut supra notavimus jam certum sit, nemini licere, pro lubitu inspiciendi causa Editionem documentorum, quae alius possidet, poscere: videamus nunc, nullo respectu habito ad indolem & conditionem documenti, cuius editio petita, quid in genere cuicunque faciendum sit, si non frustra illam petere velit.

Negata ab adversario Editione, asserere tunc possumus, quod Editionem petens justam causam petiti sui, tam verosimiliter, quam fieri possit & quam conditio causae de qua agatur, illud patiatur, demonstrare debeat.

De

24
Demonstrandum autem ipsi incumbit.

- 1) Documentum, quod petit, re vera existere, simulque qualitatem ipsius determinare debet, tum quia iudicium fundari non potest super petitione, qua admissa iudicium ipsummet aliqua ex causa ex postfacto apparet inane vel inserviosum; nam quia regulariter in omni negotio prius debeat esse in rerum natura, de quo agitur.
- 2) Praesumtiones adferre debet adversarium suum documentum de quo agitur possidere, vel si non amplius possidet, illum mala fide possessionem dereliquisse: quia obligatio ad Edendum per se evanescit, si non aliquo modo apparet, illum a quo documentum petitur, illud penes se habere vel saltim habuisse.
- 3) Requiritur, ut Interesse demonstretur circa instrumentum competens, cuius editio petita est.

Justa causa huius Interesse varia esse potest, quod diadicandum ex qualitate juris, quod alicui circa documentum ipsum competit; quamquam etiam deficiente speciali titulo saepius editio ex sola aequitate concedi posset a). Quum eam apparet, possessorem documenti de lucro, petentem autem Editionem illius de damno certare,

sem-

semper tunc aequissimum est, possessorem indistincte' compellere, ut edat instrumentum cuiuscumque generis; nam si non edat, vulnerat conscientiam suam, enm danno alterius lucrum captans b). Quamquam autem alicui instrumentum edendum sit, quando revera sua interest: tamen nec soli assertioni petentis editionem interesse adesse credi potest, sed probationes nonnullas intuitu illius proferre debet, de quorum validitate judici cognitio manet.

a) vid. supra §. 4.

b) BRUNNEMANN process. cap. 19. n. 26.

§. XVI.

Continuatio.

Saepissime editio documenti hac ex causa, quod commune sit petitur, quo casu bene considerandum, quid requiratur, ut dici possit, instrumentum commune esse.

In documento communi caeterum, tam perfectio-
nis quam probationis causa confessum, semper obtinet il-
lud in Argentariorum Editione jure Romano propositum
principium: id quod mei causa confessum est, meum quo-
dammodo instrumentum mihi edi a); & hic ex ipsa natura
contractus editio obtineri & hoc fine eadem actione, quae
ex contractu competit, agi potest.

D

Saepius

Saepius etiam ille, a quo Editio Instrumenti communis, vel perfectionis vel probationis causa confecti, petitur, ejus Editionem, quamvis documentum ipsum alias forsitan rite confessum esse concedat, recusare intendit hoc praetextu: quod nondum commune dici possit, quia traditio, ipsi illius Editionem petenti, nondum facta sit. Haec vero objectio nullius momenti est. Namque ex rite facta confessione & subscriptione partium, de consensu illorum quod documentum inter ipsos, ut commune considerari debet satis constat, nec itaque minime necesse est, ut traditio intercedat.

a) L. 4. §. I. Dig. d. Edendo.

§. XVII.

Continuatio.

Si alter Contrahentium obligationi suae, quae ipsi ex Contractu incumbit, jam satisfecisse contendit & nunc ab altero etiam petit, ut obligationi suae itidem satisfaciat & documentum, negotii inter ipsos celebrati causa, confessum edat: priori, si alter implementum factum negaverit, probatio sine dubio incumbit, obligationem suam implevisse.

Rem hanc exemplum subsequens optime illustrabit. Caius pecuniam Titio in mutuum dare promisit, sed numer-

merationem vario sub praetextu protraxit & Titius ante acceptam jam pecuniam Chyrographum confecit, quod quidem judicialiter confirmatum fuit, quod tamen apud se adhuc retinuit. Causus homo fraudulentus in iudicio nunc proponit, se Titio pecuniam in mutuum dedit & judicem, doli quem struxit ignarum, petit, ut Titio editionem Chyrographi iniungat. In aperto est, nulla quamvis scientia de dolo latente habita, summam hic iniuriam fore, Titium ad Editionem obstringere & nihil tantopere causae conditioni consentaneum videtur, quam Cajo probationem implementi a se facti injungere.

§. XVIII.

*De probatione requisitorum ad Editionis petitionem
necessariorum.*

Omnium tamen horum requisitorum, quae in § 16, ut ad Editionis petitionem necessaria allegavi, non tam rigida probatio desideratur, quin iudex ob nonnullas saltim non in totum improbabilis rationes a petente propositas, Editionem decernere posset. Quocunque in casu eveniente ex circumstantiis dijudicandum est, an mitior an rigidior probatio injungenda sit. Praecipue autem dicta haec ad presumtiones & suspiciones, contra illum a quo editio petitur,

militantes, spectant. Sufficiunt in dubio leviores, quae aliquo modo iudici fidem faciunt a). Sic ille, qui a posseſſore fundi Editionem documenti ad fundum pertinentis petit, iusta alias causa interesse sui demonstrata, non obligatur multas praesumptiones proferre, quum per se iam verosimillimum sit, tale documentum ab eo possideri.

a) LEYSER Spec. 38. m. 4. CARPOV Proceſſ. Tit. 14. art. 4.

§. XIX.

De Juramento imponendo neganti instrumenta ſe poffidere.

Si alter negat ſe instrumentum habere & tamen contra eum praesumptiones militant, quod habuerit & etiamnun habeat, a iudice ipſi deferri ſolet iuramentum purgationis, ut iuret ſe nec documenta illa habere, nec dolo malo habere defiſſe. Nec enim, uti patet, fidem non existentiae facere potest nuda negatio, nec iuramentum hoc a iudice delatum referri potest, quia ſolus ille cui iniungitur exactam huius rei, utpote facti proprii, notitiam habet; nec etiam ad probationes conſugere & conſcientiam ſuam probationibus liberare. Ratio ne proceſſus ſummarius, in quo plerumque editio instrumenti petitur, per ordinarias probationes in proceſſum ordinarium commutetur & in probationum praeparatoriis cauſa protrahatur.

Prae-

natur. 2. 1002

Praesito demum juramento purgationis non statim
iudex ad sententiam properare, sed terminum assignare acto-
ri debet, an forte aliter propositum probare posset a). Hoc
eaeterum in aprico est, juramentum in eo tantum casu lo-
cum habere, si quis de jure ad Editionem obligatur, nequa-
quam vero ubi aliquis ad edenda plane documenta non ad-
stringitur; ubi itaque appetet: editionem per calumniam
petitam esse, etiam juramentum hoc imponi nequit b). Nec
sententia super ea lata non probato aliquo modo eo, quod
edere jussus habeat documenta, valere debet c). Quum
autem iudici de possessione instrumenti apud aliquem satis
constiterit, dari etiam posse casus ubi editio sine juramen-
to simpliciter injungenda sit, nullus dubito.

a) MEVIUS P. 2. dec. 97.

b) MEVIUS P. 6. dec. 212.

c) BERLICH P. 1. C. 45. n. 77.

§. XX.

Continuatio.

Minime autem Editionem petenti potest Ju-
ramentum calumniae, quia hic nulla calumnia respectu il-
lius adest, quum per prae sumptiones, quas allegaverit & de
quarum validitate iudex jam cognoverit, omnem calumniam

D 3

remo-

removerit & Interesse suum sufficienter docuerit a). Juramentum enim editionis considerandum, ut juramentum a Lege delatum; in tali autem cessat calumnia, quia haud quaquam de eo praesumi potest calumnia, qui petit, quod lex sibi permittit. Acedit etiam quod hodie iuramenta calumniae & malitiae judicis arbitrio sint relata b). Nec ille a quo editio petitur, ex non admissione iuramenti calumniae detrimentum capere potest, quum deficientibus prae sumptionibus & Interesse iuramentum editionis sua natura iam exulet.

a) LEYSER Spec. 38. m. 4.

b) MEVIUS P. 4. dec. 164. MALBLANK Doctrina de Jure jurando §. 60.

§. XXI.

Continuatio.

Omnia haec praeposita observanda quidem sunt, si iudex editionem vel iuramentum purgationis iniungit. Si autem pars parti iure actionis ordinariae, ut dicunt, iuramentum editionis proprio motu deferat, prae sumptiones evanescent, nec amplius eiusdem probationis opus esse, sed potius omnia petitio conformia, nulla quidem facta disquisitione an ius editionem potentis fundatum sit, statim editionem vel iuramentum loco illius iniungendum esse, credunt

nro. 3. 1002.

dunt plurimi Doctores a). Ratio adfertur, quia secundum theoriam juris expeditum sit semper deferri posse iuramentum. Praescribunt tamen in tali casu Doctores iuramentum calumniae, hoc fine, ut defectus praesumptionum & interesse per id suppleatur b).

Nunquam, aut quidem rarissime & gravissima tantum causa commotus iudex, ut ego opinor, admittere debet, ut pars parti, nulla praesumptionum & interesse interveniente probatione, iuramentum deferat.

Editionem fine discrimine iniungi mediante iuramento nec iuri, nec rationi, imo nec pietati convenit, per quam sine causa iuramenta imponere non licet; sed creditur homini praesertim inculpatae vitae atque famae, possessionem instrumenti neganti. Non itaque flatim ad preces eius qui exhibitionem, aut loco eius iuramentum purgationis petit, decernenda illa est sub iuramento, si non allegatur & probatur justa causa, quae rem suspectam, ideo aequam faciat, illud praestari c).

Verum quidem esse videtur hoc axioma supra propo-
litum: quod pars parti juramentum judicale quounque tempore sine praesumptionibus deferre possit. Aliquot tex-

tus

tus juris tamen eo spectare videntur, quod, si actor in totum nihil probaverit, reo juramentum litis decisorum minime deferendum sit d). Quod si etiam lubens concedam, objectionem hanc satis refutari eo, quod dicatur: leges civitas de juramento necessario, quod iudex imponit loqui, in quo semper aliqua probatio accedere debeat, quamvis hoc ibi non tam determinate dictum reperiatur: tamen quum *Lex 4. Cod. de Edendo* tam aperte praecipiat, illum qui Editionem petit, probationem habere debere, nullus dubito, quin certe in Editione, hac quidem probatione nullo modo interveniente, nec editio, nec iuramentum admitti nequam debatur.

Omnia requisita & principia circa admissionem editionis documentorum proposita, frustranea & irrita etiam forent, si iuramentum a parte delatum statim praestari patiamur, sine discriminé an justa causa petitionis adsit necesse; namque tunc semper pars statim iuramentum adversario deserret & ita regulae, quae Editioni documentorum praescribuntur in totum otiosae forent.

- a) LEYSER Spec. 38. m. 4. WERNER sel. obs. forens. P. 7. obs. 68. BERLICH P. 1. C. 45. n. 79. MARTINI ad Proc. Saxon. Tit. 26. §. 2.
- b) MARTINI d. 1. SCHILTER ad Dig. Exc. 7. §. 36.
- c) MEYUS P. 6. d. 212.
- d) L. 4. Cod. d. Edendo. L. 9. Cod. d. Obligat. & Act. L. 3. Cod. d. Reb. credit.

§. XXII,

§. XXII.

*Quid Juris, si ille a quo Editio iuste petitur, etiam per
Contumaciam illam detrectat.*

Jussus edere instrumentum à judge, quando parere detrectat atque editionem pariter ac juramenti praestationem renuit, certa poena ad id compelli potest, & quidem, si actor est, causa cadit & ulterior audientia vel actio ei denegatur a). Sin Reus instrumenta petita, praemissa tamen sententia comminatoria, ne de praeципiti processu querimonia institui possit, pro editis ac recognitis habentur, modo ipsorum exempla actis exstant b). Sed quum remedio isthuc, Actori petenti instrumentum, undique satis prospectum esse nequeat, (non enim semper hac ratione assequitur suum, quem intendit, finem), conyolandum contra contumacem ad aliam viam & decernenda sunt mandata compulsoria sine Claustra justificatoria c). Atque si in Contumacia perseverat, decernendae sunt Compulsoriales arctiores & compellendus est ad edendum, vel jurandum, vel captis pignoribus, vel mulcta arbitraria, secundum qualitatem causae & facultatum suarum d). Eodem remedio caeterum utendum, si editio non ipsi adversario sed cuidam tertio sit iniuncta.

E

Ob-

Observatur caeterum circa Editionem Instrumentorum, quae sunt apud exteris, quorum ad causam quae in iudicio nostro agitur, opus est, idem, quod circa testes frequentatur, ut per subsidiales litteras examen petatur. In iis enim quae nostri iudicij sunt subsidialibus, quae alieni intercessionalibus, seu ut vulgo vocant promotorialibus, faltem utimur e).

Praeterea adversus Contumacem semper adhuc competit actio ad Interesse, quanti scilicet Editionem petenti interfuit illam debito modo ac tempore factam fuisse f).

- a) HAHN ad Wesenbec. in Tit. de Edendo n. 14. PACIAN de Probat. L. I. c. 66. n. 174.
- b) BERLICH P. I. C. 45. n. 92.
- c) RULAND P. 2. l. 5. c. 26. n. 3. BRUNNEMANN Com. ad Dig. in Leg. 8. d. Edendo.
- d) RULAND c. 1. BERLICH c. 1. n. 89. 90.
- e) MEVIUS P. 3. d. 117.
- f) RULAND c. 1. n. 4. PACIAN c. 1. n. 139.

§. XXIII.

Quid Juris, si ille qui instrumentum edere debet, dicit, instrumentum amissum esse.

Si amissio instrumenti, quo actor intentionem, aucteuus suam exceptionem firmare debet, ab his ipsis allegetur. nihil

nihil ipsis prodesse potest illa allegatio, utcunque juramento munita, si non aliunde actor intentionem, aut reus exceptionem probet, quasi non' jus, sed probatio, deficiat'a). Eadem haec principia & tuac statuenda esse non dubium mihi videtur, ubi adversarius, a quo editio instrumenti petit a, illud amissum esse contendit & juramento quidem assertione suam firmare vellet. Minime namque jure communi per juramentum solum de amissione plena fides sit, sed requiritur, ut doceatur; & probetur casus, per quem amissio facta sit, deinde qui allegat, sit honestae vitae ac famae, tertio conjecturas & circumstantias vel probables rationes amissionis afferat, ut judex credere posset, vere sit factum b). Casu non probato doli presumtionem jure adesse creditur, ad quam excludendam, est probatio istius omnino necessaria. De his quando parum constat & nihil adhuc probatum est, judex ad juramenti delationem festinare non debet c). Haec omnia autem eo magis observanda, si apparet, Editionem documentorum ex conventione vel simili jure quaesito petitam esse, quo quidem casu juramentum, quod super amissione a iudice desertur, omnino semiplenam probationem supponit, quia sua natura est suppletorium, quod quidem inopia probationum desertur d). Si contra Editio documenti mero judicio officis vel solius

aequitatis causa petitur, saepius iuramentum solum sufficere potest, nisi etiam hic aliud per circumstantias iudici visum fuerit, cuius arbitrio hoc relictum est. Sic etiam in genere, quum leve est praefiducium adversae partis, seu parum illius interest produci, admitti potest ex solo iuramento amissionis fides e).

- a) L. 1. 7. II. Cod. d. fid. instrument. VOET ad Dig. Tit. d. fid. instr. §. 21.
- b) MASCARD d. Probat. Concl. 88. MENOCH d. Praesumt. L. 6. c. 61.
- c) L. 3. Cod. d. reb. credit.
- d) L. 3. cit.
- e) GAIL. Obs. L. 2. obs. 37. n. 3.

§. XXIV.

Continuatio.

Amissio eaeterum ex culpa, mora, vel ex alia qualisque negligenter orta, amittenti nihil proficit sed facit potius, ut negligens & culposus omnibus ex ammissione ~~ortis~~ damnis & incommodis obnoxius sit, quia nil tam naturale est, quam illa nocere debere ei, qui committit a). Superest etiam post ea omnia, alteri parti facultas probandi allegatae amissionis falsitatem b) docendo e. g. possessorum documenta edenda dolo destruxisse, aut e medio sustulisse. Hoc probato, distinguendum quoad ipsae causae contraversae decisionem, an eiusmodi possessor sit adversarius probantis

tis an vero tertius quidam. Si prius, salvo arbitrio iudicis, iis creditur, quae probans de contentis documenti iam attulit & postea iureiurando confirmavit, si vero posterius contra possessorem datur actio, ad id quod interest.

Inculpata quidem amissione instrumenti probata, haud tamen ideo statim condemnandus est ille, qui ex eo intentionem probare suam nitebatur, quia ratio, quod ubi non quidem jus sed probatio deficiat, perinde sit, ac si jus deesset, huc minime spectar.

Obligatio enim ex negotio quodam orta non chartae inhaeret, qua instrumentum super id confessum scriptum est, quum scriptura semper tantum probationis facilius reddenda gratia accedat, negotio qua tali vero per se iam vis obligandi insit. Numquam enim Editionem petenti via praeccludi debet aliis remediis & probationibus, ea, quae ad causam suam pertinent, deducere & tenorem instrumenti alia ratione contestari. Nec enim adstringenda est causa unius tantummodo probationis generi, nec patiamur severioris juris observantia, hunc sola instrumentorum amissione penitus succumbere & interire, illum vero cum alterius excidio victoriam consequi.

E 3]

Gra-

Gravitas causae litigiosae & gradus probationis, qui
in praesumptionibus ab Editionem petente propositis obtinet,
decisionem caeterum praebere debet, an per illum argumen-
tum instrumenti, solo juramento suppletorio probari possit.

- a) MASCARD. C. 87. n. 2. seq.
b) CAEPOLLA de Cautel. C. 148.

THE

THESES.

I.

Vitrius a privigna alimenta ipsi praesita repetere potest.

II.

Testamentum judiciale, a testatore ex judicio ablatum & domi loco aliquo, quamvis inviolatum, reconditum, tamen non amplius valere potest.

III.

Iussus Judicis, ne debitor creditori solvat sortem, debitorum minime excusat neque liberat a cursu usurarum.

IV.

Debitor, qui impetravit a magistratu superiore rescriptum moratorium, medio tempore ad usuras, ex conventione debitas, tenetur,

V.

Mulier obaerato viro scienter unbens, dotem, constante matrimonio, vergente nemirum marito ad extremam inopiam, repetere potest.

VI.

Testamentum inter conjuges reciprocum, parte altera invita, & adhuc in vivis existente, vel etiam post alterius conjugis mortem, tolli aut mutari potest.

VII.

VII.

*Legatum in Re seu pecunia certa in Testamento relatum,
Est postea a Testatore vel alienatum vel consumatum, Te-
stator ademisse censemur.*

VIII.

*Filia vasalli obaerati dotem vel alimenta a creditoribus
paternis sibi ex feudis constitui, petere non potest.*

IX.

*Is qui per quietationes tres ultimas probat: se tribus an-
nis proximis continuis debitas usuras seu pensiones an-
nuas soluisse: praesumitur eas in praeteritum retro
soluisse.*

X.

*Falcidio non tantum expressis sed Et uequipollentibus pro-
hiberi potest verbis.*

Göttingen, Diss., 1790-91


ULB Halle
004 826 981

3



f

TA → OL
nur nachdruck



DISSE^RTATI^O IN AVGVRALIS
JVRIDICA
SISTENS
ALIQVOT CAPITA
IN
EDITIONE
DOCVMENTORVM
OCCVRRENTIA

QVAM
ILLVSTRIS JVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO
LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES
CONSEQUENDI
D. X. APRILIS MDCCXC.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
AVCTOR
HIERONYMVS WOLDERVS SILLEM
HAMBVRGENSIS.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

